

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1903

Auteur(s) : Hugues de Morville, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôtel-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1224

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Hugues, évêque de Coutances, établit un règlement sur l'élection du prieur de la Maison-Dieu de Coutances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Constantiensis, n° XXXI, col. 257-258.

b. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XXXVIII, p. 30-31.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos praesens scriptum pervenerit, Hugo Constantiensis ecclesiae minister humilis, et fratres et pauperes domus-Dei Constant. salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos unanimiter instituisse pietatis divinae intuitu, quod nullus in praedicta domo prior assignetur, nisi quem mores et vita, observatio institutionum ipsius domus quas de se fideliter observabit et a cunctis fratribus domus firmiter faciet observari, ipsum tali officio comprobaverint esse dignum. Instituímus etiam, omnes successores nostros pie et misericorditer in domino exhortantes, ut qui ibi tempore succedente prior fuerit assignatus, antequam tale suscipiat officium, cunctis fratribus domus convocatis, bene instruat super hoc et certificetur quia dominus episcopus semper ipsum ab eodem officio sine contradictione et appellatione qualibet amovebit, et alium instituet quando voluerit et viderit expedire, mediante tamen consilio fratrum dictae domus. Hoc autem statuimus bona fide, ea auctoritate qua possumus, injungentes quatenus haec omnia et aliae institutiones ejusdem domus a nobis ordinatae in custodia episcopali et in ipsa domo per scriptum perpetuo habeantur, et singulis annis ad dies computationum ejusdem domus statutos, et ad receptionem fratrum et sororum in ordine legantur et distincte, ne inimicus homo sub pelle ovina quasi per ignorantiam aliquo tempore praesumat, quod absit, in praedicta domo, super triticum Domini et zizaniam seminare, bona pauperum temere largiendo, vel ea in suos proprios usus diabolo instigante superflue convertendo. Insuper instituímus quod omnes fratres et sorores ejusdem domus, ut promiserunt, et eorum habitus postulat et ordo, sub obedientia semper maneant et vivant, et suis presbyteris et praecipue illi qui curam administrationis susceperit sub prioris nomine gerendam, reverentiam in omnibus exhibeant et honorem, prout religio sancta exigit et docet. Hoc idem clerici pro religionis honestate, liberaliter et benigne laicis impendere debent, quia multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Hoc autem totum ordinavimus sano intellectu, ne aliquo tempore, indiscreto et indigno improvise quod absit, domus saepe dictae custodia committatur. Ego vero Hugo episcopus, omnes praesentes et futuros moneo diligenter in visceribus caritatis, et praecipue meis successoribus omnibus supplico humiliter et devote, ut quod a nobis divinae pietatis intuitu inceptum est pro Christi

pauperibus perpetuo sustentandis, omni amore carnali postposito et seculari, pie et misericorditer satagant de die in diem in melius promovere. Ut autem hæc omnia firma et stabilia in posterum perseverent, nec possint processu temporis, alicujus malo ingenio importune revocari, præsentis scripti et sigillorum nostrorum testimonio dignum duximus confirmare. Actum est hoc anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo quarto.